

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Quæso ut eum iis commendes, qui præfunt, & tua suffragatione adjuves. Valde teoro, ut mihi scribas, quam primum poteris. Sledano & vobis omnibus salutem opto. Bene vale. die 17. Julii Anno 1554.

Philippus Melanthon.

XXIII.

G & P. per Christum. Ago gratias tibi, Clarissime D. Doctor, quod filium meum tanto amore ac benevolentia complexus, summo etiam studio ac liberalitate adjuvare non dedignatus es. Id quod ille de sua fortuna ad me scribens prolixè adeò prædicavit, atq; utinam talis esset fortuna mea, ut animi mei gratitudinem, pro dignitate ac mente officiorum tuorum declarare ulla ratione possem. Sentires profectò, te homini neutiquam ingrato gratificatum esse. Oro autem Deum æternum, patrem Domini nostri Jesu Christi, ut secundum abundantiam immensæ bonitatis suæ retribuere tibi dignetur. Ac peto abs te vehementer etiam atq; etiam, ut ad cætera beneficia hoc etiam addere velis, ut si animadverteris filium adololescentem, quæ forte dedecant, designare, severè illum arguas, & sedulus illi hortator sis, ut literarum studio, morum quoq; informandorum & regendorum diligentiam adhibere velit. Nec ægrè tibi sit, tam quod audacter abs te peto quidlibet. Facit enim hoc insignis humanitas tua, quæ mihi persuasit, te officii loco accipere, si ad præstanda officia honesta & liberalia provoceris. Gratia Domini tecum. Datæ Goræ, pridie Cal. Septembris Anno salutis M. D. LIV.

Tuus ex animo

Justus Menius.

XXIV.

S Perturbatio Ecclesiæ vestræ, quam proxime cognovimus, sollicitos etiamnum nos tenet, ut inter spem & metum anxios. Sed eventum tamen vobiscum optatiorem præsumimus animo, quod hic paroxysmus, non ex carnali impulsu, sed Zelo juvandi Ecclesiam, Christi q; gloriam provehendi, exortus, Deum sit indubie habiturus moderatorem, & sine fructu proinde nequaquam exiturus, utcunq; non obtineantur omnia, quæ pientissimis votis, & nos & pii omnes ardentissimè desiderant. Eoque minus metuimus, ut hinc grex bene sanus vobis pastoribus suis destituatur, maxime cum impensè diligatis Ecclesiam,

F 2

næq;

neq; eo consilio acrior illa postulatio, à vobis instituta sit primum, & deinde iterum repetita, ut si tolerabili saltem conditione occurratur, sitis loco cessuri. Sicut coràm videmur ex vobis intellexisse. Nec defuturi sunt etiam alii, quantum augura nur, qui idem, quod vos nunc agitis, suo tempore sint via aliqua apud vestros tentaturi. Nam ne nesciatis, hujus negotii non tantum fama, sed publicum præconium, passim per Alsatiam, Helvetiam, aliasq; regiones percrebuit, quod nobis liquido constat, fore, quod sicut etiam citra vestrum propositum vulgari Domino visum est, hæc studia vestra & Senatus cunctationem, ut sancti passim, per compassionem Christianam, alii sacris precibus, alii piis studiis, juvent Ecclesiam, quo non modo à nobis zeli sancti moderatio requiratur, sed, quod est opus vel maxime, apud Magistratum instetur, sui ut muneris probè memor, curet repurgandam ab impietate tantà Ecclesiam, & vestrum ut studium ita accipiat, sicuti debet. Interea tamen in ea, quam coràm exposuimus, sententià perstamus, vobis, Venerandi atq; charissimi in Domino fratres, ut quaecunque responsum acceperitis, stationem deserendam non esse. Neq; statim abeundi causam, esse vobis datam existimetis, etsi non succedat ex voto nunc quidem, quod piè moliti estis opus, tantisper, dum præconium Evangelii liberum vobis conceditur, & ea disciplinæ etiam forma, qualem vix alibi inveniatis, apud vos locum habeat, neq; sine fructu, in poriore saltem parte, laboretis hæctenus, dum, quæ desideratis reliqua, progressu temporis per Dei auxilium consequamini. Cæterum quum controversiæ vobis aliquid esse cum Symmista, idq; à Magistratu, ad quem devolutum est, dicendum cognoverimus, bona in spe sumus, eum à consiliis pacis fraternæq; unitatis non abhorriturum. Sicut & vos, Venerandi fratres, publicæ ædificationis, vitandiq; aut sanandi scandali ergo, nihil non facturos libenter nobis persuademus, ut cum in religionis Christianæ capitibus, vobis sit solidus consensus, etiam in æconomia Ecclesiastica rationibus conveniatis, quò ^{in his} ^{rebus} ⁱⁿ ^{junctum} à Christo munus ad ipsius gloriam, Ecclesiæq; profectum obire queatis. Cavendum enim magnopere nostis ipsi, ne mutuum mordentes invicem ab invicem consumamini. Scripsimus & ad ipsum, officii sui fraternaliter commomentes. Precaturi interea æternum patrem Domini nostri Jesu Christi, ut vos suo Spiritu dirigat & regat, contra mala omnia tueatur, ac miseretur Ecclesiæ. Valere, Basileæ 11. Octobr. Anno 1554.

Tuus totus

Simon Sulcerus.

Symmistarum suorum & suo nomine.

Quæso

Quæso ad me mittas Catechismi, quem in Ecclesiâ tuâ exerces, exemplar, & si queas, sacræ confirmationis formam.

Præsentium Lator, pius senex, quis sit, ex literis Fabricii, licet pridem defuncti, & Bullingeri, recenter scriptis, abunde cognoscitis. Commendatus & mihi fuit à pientiss. memoriæ viro, D. Joachimo Vadiano, cum testimonio de singulari innocentia ejus, atque Abbatis Sant-Gallensis contra ipsum iniquis furoribus. Piè facietis, si qua ærumnosum senem queatis juvare.

XXV.

S Dudum, mi Marpachi, respondissem tuis, nisi per eas, quas fratrum nomine, eodem tempore ad te dederam, responsum esse existimassem, tuasque potius expectassem, quibus de Ecclesiæ vestræ statu me faceres certiolem. Neque enim vulgariter ea me vexat sollicitudo. Etsi in spe sim, eventum non omnino deploratum per DEUM concessum iri. Ac forte occasionem Comitum Augustana dabant Magistratui vestro, super his mature etiam cum aliis Imperii ordinibus deliberandi, iis maxime, qui eandem nobiscum religionem profitentur. Nec defuturos puto, qui ultro etiam animos sint vestris addituri, sic enim mihi aliunde significatum est: quod tibi in aurem. Deum interea rogamus, ut spiritum principalem, ipse largiatur, per quem sprete mundi furoribus citra claudicationem ipsum intrepidè sequantur, qui nomen ejus profitentur. Cupio autem vehementer, ut per hunc præsentium latorem ad me copiosè scribas, eumque ut habeas comendatum, quo uxori cohabitare queat, suæ carni, tuâ & reliquorum operâ adjutus. Est enim vir certè bonus & simplex, & in labore sedulus, modo eo frui posset, mercis paratæ distractione commodâ. Consilium suum ipse coram explicabit. De Symmista vestro valde dolet, quod scribis, antiquum obtinere in fovenda controversia & suggillando pio instituto vestro. Id enim ne faceret, & coram & per literas serid monuimus, neque id deinceps etiam facere cessabimus. Precaturi interea Dominum Jesum, totius suavitatis, charitatisque exemplar, pacem ut ipse, & *ὁμοφροσύνην* sanctam, Ecclesiæque suæ necessariam, misericorditer largiatur. Placet autem vehementer mihi vestrum consilium, in dissimulanda & superanda per patientiam importunitate, victoriam certam tandem sine pulvere nedum sanguine gloriosamque reportaturi. Eam ergo ut methodum retineatis, constanter vos iterum iterumque exhortor. Novi apud nos nihil est, nisi quod novum Episcopum elegerunt tandem Canonici Basil. s. Friburgenses potius, virum per se quidem non pessimum, hoc est religioni hætenus quidem non infectum, quod venationes & convivia curarit potius, ut de eo spes sit, non fore